



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

vno modo praesens, independenter à suo effectu, potest rursus reddi alio modo praesens per eundem summum effectum, neque in hoc apparet vllum inconueniens. Deinde homini iustificato redditur prior gratia ratione priorum meritorum. At priuatio gratiae, qua consistit in indiuisibili secundum se, inducit solum ratione peccati subsequenter, vt liquet ex tota responsione ad 1. Postremo fundamentum conclusionis, & ratio discriminis reddita in eadem illa responsione concludunt, nec de potentia Dei absoluta, fieri posse, vt vel non reuiuifcant priora merita per iustificationem, vel redeant priora peccata ratione relapsus. Quod quidem cedit potius in maiorem Diuinae potentiae commendationem, vtpote non potentis iustificare peccatorem, eique reconciliari imperfectè, aut scilicet, quod facit imperfectio potentiae humanae; sed tantum realiter, ac perfectè, quod est proprium perfectissimae potentiae. Quare moderni illi Theologi audiendi nequaquam videntur, quatenus adherent nimium modo operandi humano, cum agitur de modo operandi Diuino, eoque quodammodo diuinissimo in remissione peccatorum, vt dictum est quaest. 5. de iustificatione.

INCIPIVNT QVÆSTIONES
de Sacramento Extremæ Vnctionis.

QVÆSTIO XCVII.

*Vtrum Extrema Vnctio sit verum Ecclesiae
Sacramentum?*



IDEATUR non esse. 1. Quia non legitur in sacris litteris institutum fuisse à Christo Domino tale sacramentum, nec in sacramentis veteris legis, quae fuerunt figuratiua sacramentorum nouae legis, reperitur sacramentum, aliquod assimilatiuum Extremæ Vnctionis, qua vtitur Ecclesia. Ergo Extrema Vnctio non est verum nouae legis sacramentum institutum à Christo Domino.

2. Diuus Dionysius, exponens cap. 2. Eccles. Hierarch. sacramenta à Christo Domino instituta, non meminit Extremæ Vnctionis; Immo ipsum excludit à numero sacramentorum, dum statuit cap. 3. Omne sacramentum, esse, vel ad purgandum, vel ad illuminandum, vel ad perficiendum. Nihil enim horum praestat Extrema Vnctio, vt colligitur ex eodem ibidem. Quia purgationem, & illuminationem soli tribuit Baptismo, vtriusque verò perfectionem soli Confirmationi, & Eucharistiae. Nullus igitur effectus sacramentorum proprius superest, quem conferat Extrema Vnctio.

3. Vnctio infirmorum, quam praescribit Iacobus Apostolus cap. 5. epistola sua, est eiusdem rationis cum ea Vnctione, qua Marci 6. 13. perhibetur, vsos fuisse Discipulos in subsidium infirmorum, vt aperte significant, inter alios, Beda, Theophylactus, Lyranus, Dionysius Carthus. Franc. Lucas, & alij in dictum caput Marci, dū alteram alteri Vnctioni adiungunt, & vtramque simul exponunt, tanquam pertinentem ad eandem rem. Vnctio autem de qua meminit Marcus, non erat verum sacramentum, vt communiter docent Authores, & tanquam indubitatum supponunt, atque ex eo efficaciter conuincitur, quia passim adhibebatur quibusvis agrotis etiam non baptizatis. Ergo nec Vnctio, de qua loquitur Iacobus, est verum sacramentum. Nullum autem est fundamentum pro astringenda ratione sacramenti in

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

Extrema Vnctione, secluso illo Iacobi testimonio, Quia videlicet vnice nituntur assertores huius sacramenti, omnesque aliae auctoritates, quae in eandem rem adducuntur.

4. Vnctio Extrema, quam adhibet Ecclesia moribundis, pluribus substantialiter differt ab Vnctione, de qua loquitur Iacobus Apostolus, quia Apostolus pluraliter inducit Presbyteros ad infirmum; eius deinde saluationem attribuit soli Presbyterorum orationi, & non etiam Vnctioni; rursus orationis efficaciam fundat in fide orantium; ac demum eiusmodi subsidium ponit Apostolus pro quouis indiscriminatim infirmo. Quae omnia patebunt clarè ex verbis Apostoli paulò post producendis. Ecclesia autem vnicum tantum Presbyterum adhibet pro vngendo vnoquoque infirmo, eumque putat esse sufficientem pro effectu desiderato, tametsi haereticus sit, & careat consequenter omni vera fide; eundemque effectum attribuit Vnctioni non minus, quam orationi; solisque demum moribus applicat istiusmodi Vnctionem. Quae patent ex communi sensu Theologorum, & ex Pontificali Romano. Ergo, Vnctio Extrema, qua vtitur Ecclesia, non est verum sacramentum, tametsi tale esset Vnctio, de qua loquitur Iacobus.

5. Extrema Vnctio constituitur actione vngendi, tanquam materia, & oratione vngentis, tanquam forma. Vnicuique autem infirmo adhibentur plures Vnctiones inuicem discontinuae; cum totidem orationibus distinctis inter se adaequate, vt patebit in quaestione sequenti. Ergo Extrema Vnctio, vt esset verum Ecclesiae sacramentum, non tamen esset vnum numero, pro vnoquoque subiecto, sed realiter multiplex.

Art. 1. Respondetur. Proponenda sunt initio verba Iacobi Apostoli, quibus praecipue nititur fides, & notitia huius sacramenti. Iacobus autem cap. 5. 14. Epistola sua sic habet: *Infirmatur qui in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* In quibus exprimuntur clarissime omnia, ad rationem veri nouae legis sacramenti, spectantia. Primum enim exprimitur Vnctio olei, quod est symbolum significatiuum nitoris conscientiae, vt apparet ex verbis Florentini indicatis supra, quaest. 52. art. 1. circa sacramentum confirmationis, idemque tradit Conc. Trid. circa hoc sacramentum sess. 4. cap. 1. de eodem, his verbis: *Nam Vnctio (olei, de quo loquitur) aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima agrotantis inungitur, repraesentat.* Eandem significationem continet in se expressius oratio Presbyteri, vt patebit quaest. sequenti. Additur deinde promissio gratiae alleviantis, & saluantis infirmum, atque remittentis peccata, idque ex vi vnctionis, & orationis. Quibus videlicet praemissis subinfertur eiusmodi effectus, tanquam procedens ex ipsis, atque existens dependenter ab eisdem, quod clarè denotat particula, & ter repetita post inductionem Presbyterorum, atque Vnctionem infirmi; & *saluabit, & alleviabit, & dimittentur*, haec autem constituunt re ipsa rationem veri nouae legis sacramenti, vt liquet ex dictis supra in communi, quaest. 1. Constat igitur ex praedictis Iacobi verbis Extremam Vnctionem esse verum Ecclesiae sacramentum; ita vt sola ista vox sacramentum in illis desideretur, quae etiam ipsa desideratur in sacris litteris, pro reliquis sacramentis. Pro nullo namque sacramento significando, vsurpatur in illis ista vox, sed sola exprimitur res ipsa, cui deinde eadem vox opportunè accommodata est. Nusquam verò res ipsa sacramenti

T t 2

clarius,

clarius, aut distinctius, exprimitur, quam exprimitur res huius sacramenti in verbis Iacobi. Per absurdum igitur negatur, extremam Vnctionem esse verum Ecclesiæ sacramentum à Lutheranis, & Calvinistis, & olim à Vvaldensibus agnoscantibus alia Ecclesiæ sacramenta.

Art. 2. Verum hanc eorum absurditatem præter auctoritatem productam, ratio quoque ipsa efficacissime demonstrat. Credi enim absque manifestissima absurditate non potest, alicui alij mortalitatis nostræ imbecillitati, ac indigentia subuenisse misericordiam Diuinam peculiari sacramento, & nullo nihilominus eiusmodi beneficio prouidisse ultimæ vitæ mortalis periodo, pro qua est summa Diuinæ subuentionis necessitas. Quam rationem placet exprimere significantissimis Concilij Tridentini verbis, loco nuper indicato in procemio. *Primum itaque, inquit, circa illius (huius sacramenti) institutio, nem, declarat & docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui seruis, quouis tempore voluit de salutaribus remediis aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis alijs præparauit quibus Christiani conservare se integros, dum viuerent ab omni grauiori spiritus incommodo possint; ita Extremæ Vnctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam presidio munivit. Nam etsi aduersarius noster occasiones per omnem vitam querat, & capiet, ut deuorire animas nostras quoquomodo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes sue versutia nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit, Diuinæ misericordiæ deturbandos; quam cum impendere nobis exitum vitæ perspiciat. Nullum igitur tempus est pro quo, promptius, certius, ac confidentius credendum sit, prouidisse nobis benignissimum Dominum peculiare sacramentum, quod esset firmissimum, aduersus insidias diaboli tunc, vel maxime, ac sauiissime furentis presidium, atque leuamen miseris mortalibus, corpore pariter, & animo tunc, vel maxime vexatis. Institutum itaque est istud sacramentum à Christo Domino, ut definiunt Conc. Florent. in decreto Eugenij. §. septem sunt, & §. quintum sacramentum, & Trid. sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere, & sess. 14. prædicto cap. 1. & can. 1. tametsi non certò constet, quo determinatè tempore institutum fuerit.*

Art. 3. Ex iis, quibus D. Iacobus descripsit istud sacramentum, & ex iis, quæ eiusdem causalitati tribuentur infra quæst. 100. deduci potest hæc ipsius definitio, quasi metaphysica, cui in quæst. sequenti adicietur definitio alia, quasi physica: Extremæ Vnctio est Sacramentum finaliter perfectum remissionis peccatorum. Cui definitioni plerimum suffragantur verba Concilij Tridentini in prædicto procemio: *Quod (Sacramentum Extremæ Vnctionis) non modo poenitentia, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetuo poenitentia esse debet, consummatum existimatum est à Patribus, cum igitur effectus poenitentia sit remissio peccatorum atque consummatum, alicuius dicatur, quod est ultimo perfectum eius, & effectus ad quem ordinatur, atque Extrema Vnctio adhibeatur in fine vitæ; rectè dicitur ipsam esse finaliter perfectam remissionis peccatorum. Accedit non modo indigentiam remissionis peccatorum, sed etiam periculum saluationis, atque angustias, & vexationem animæ, & corporis, quibus per saluationem, alleviationem, ac dimissionem, subuenit hoc sacramentum, prouenire ex peccatis, quæ ante eius susceptionem supponuntur, saltem loquendo per se iam esse remissa per Baptismum, & Poenitentiam, atque ideo solam huic sacramento reservari ultimam perfectionem, & consummationem remissionis peccatorum, quoad ipsorum reliquias, & effectus impe-*

ditibus salutis, qui adhuc supersunt; per quam proinde vim perfectam, & consummatam finaliter remissionis peccatorum, maxime omnium declaratur conceptus quidditativus huius sacramenti. Quapropter Extrema Vnctio comparatur cum Baptismo, & Poenitentia, sed magis cum Poenitentia, sicut dictum est supra comparari Confirmationem cum Baptismo. Vnde conferet non parum ad intelligentiam eorum, quæ dicta, & dicenda sunt de hoc sacramento, si recolatur, quæ dicta sunt de sacramento Confirmationis, quæst. 51. atque deinceps. Videri etiam potest, si placet definitio alia ex parte similis definitioni datæ apud Suarez, disp. 40. sect. 4. quæ tamen non satisfacit omnino ob ea, penes quæ ab eodem Suarez consequenter recedimus in dicta qu. 100.

Ad 1. Non omnia, quæ fecit, ac instituit Christus Dominus, traduntur in sacris litteris, sed quæ sunt fundamentalia, ac necessaria, aut difficilis fidei, ut prænotatum est supra circa confirmationem quæst. 51. initio, & obseruat in præsentia D. Thom. quæst. 29. art. 3. ad 1. Non est autem eiusmodi sacramentum Extremæ Vnctionis, ut patet ex eius conceptu, & facili credibilitate expositis nuper art. 1. & 2. Idem verò sacramentum est perfectum, & quidem perfectione immediatè, vel citò perducende ad Gloriam. Nihil autem ad perfectum adduxit lex vetus, multo verò minus perduxit quemquam ad gloriam immediatè, vel etiam citò. Vnde nullum sacramentum potuit esse in ea lege, quod perfecta analogia corresponderet nostræ Vnctioni Extremæ, sed solæ præcessere aliquæ Vnctiones sacræ, quæ genericè tantum, & valde confuse illam adumbrarent.

Ad 2. Institutum D. Dionysij in illo libro est, exponere ordinatam dispositionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Vnde de his solis sacramentis agit, ex quibus innoteceat ordo Hierarchicus ministrorum, & suscipientium, & quia nihil conferunt ad hunc scopum, Poenitentia, Extrema Vnctio, & Matrimonium, ipsorum ibi non meminit. De reliquo certum est Extremæ Vnctioni inesse vim, & purgatiuam, & illuminatiuam, ut apparebit qu. 100.

Ad 3. Qui putant eisdem rationis esse Vnctionem præscriptam à Iacobo Apostolo, & eam, de qua loquitur Marcus Euangelista, consequenter dicunt Vnctionem quoque illam apud Marcum fuisse verum novæ legis sacramentum. Vnde nihil præsentis dogmati, aut nocet, aut contradicit auctoritas taliter interpretantium Marcum, sed longè probabilius est, ut docet ex communi Interpretum Corn. à Lapide Vnctionem Apostolicam apud Marcum, non fuisse sacramentalem, sed solum præambulam, ac figuratiuam, ut indicat Concilium Tridentinum cap. illo primo huius sacramenti, & pertinuisse re ipsa ad donum curationis iuxta illud Christi Domini, apud Matth. 10. 8. *Infirmos curate*, cui consonat Marcus, dicens, *ungebant agros, & sanabant*. Longè inquam probabilius hoc est: tum quia Apostoli nondum erant sacerdotes, cum ita ungebant: tum quia ungebant indiscriminatim infirmos quoslibet, siue baptizatos, siue infideles, siue moribundos, siue leuius agrotantes, siue dispositos, siue indispuestos ad effectum sacramenti; tum quia omnes indiscriminatim sanabant corporaliter, quotquot ungebant: tum denique, quia in illa Apostolorum Vnctione nullum apparet vestigium virtutis sacramentalis, quam in sua exprimit Iacobus, quam clarissime, ut videtur est. Ex qua postrema ratione evanescit ratio obiectionis.

Ad 4. Extrema Vnctio, qua vititur Ecclesia, nihilo differt ab Vnctione, quam præscribit Iacobus. Quia Iacobus inducit pluraliter Presbyteros cum accommodata distributione singulorum ad singulos infirmos, ut dicitur quæstion. 99. Quo etiam pacto Presbyteros inducit

inducit Ecclesia ad infirmos. Ad infirmos verò vltimo periclitantes tantum, quam itidem circumstantiam determinat verbum Græcum, quo vtitur Apostolus, vt obseruant in præsentia Valentia, Coninch, Martinon, & alij. Demum alienationem infirmi, & remissionem peccatorum attribuit Apostolus, sicut, & attribuit semper Ecclesia Domino Deo, median- te non minus vñctione, quæ sit in nomine eius ex præscripto eiusdem Apostoli, quam oratione, quæ funditur ad eundem Dominum. Ratio autem, ob quam saluatio infirmi tribuitur specialiter orationi fidei, exponitur quæst. 100. ad 3. Atque indidem apparebit nihil conferre illam orationem fidei ad scopum obiectionis.

Ad 5. Licet hoc sacramentum perficiatur multiplici vñctione, & multiplici enunciatione formæ, omnes tamen vñctiones, & enunciationes constituunt vnum tantum numero sacramentum respectu vniuersiusque infirmi, & infirmitatis. Quia omnes pertinent ad perfectionem, & totalem integritatem eiusdem totius, sicut plures partes vnius domus pertinent ad perfectionem, & totalem integritatem eius, quatenus sicut posteriores istæ partes coniunguntur inter se physice coniunctione aggregatiua; ita priores illas partes connectuntur inuicem moraliter, ex intentione operantis; & ordinatione ad vnum, eundemque finem respectu eiusdem subiecti, & ex ipsa operatione exteriori moraliter continuata, seu non multum interpolata. Videri potest quid simile circa Eucharistiam quæst. 58. ad 4.

QVÆSTIO XCVIII.

Vtrum materia, & forma Extrema-Vñctionis sint oleum ab Episcopo consecratum, & oratio Presbyteri?

Videntur non esse. 1. Quia homines moriuntur vbique. Ergo materia sacramenti subuenientis moribundis deberet esse aliquid vbique proueniens, eo vel maxime, quia non patitur moram indigentia moribundi. Oleum autem non prouenit vbi- que.

2. Extrema Vñctio est sacramentum medicinale. Vinum autem est tam aptum ad medicandum, quam oleum, vt patet ex parabola Sauciat, cui applicatur vinum cum oleo. Luca 10. Ergo vinum tam potest esse materia huius sacramenti, quam oleum.

3. In corruptio Gloriæ, ad quam proximè disponit Extrema Vñctio, correspondet balsamo iusta analogia, quod proinde deberet esse materia huius sacramenti, vel solum, vel simul cum oleo. Confirmatur, quia Innoc. I. in Epistola ad Docentium cap. 8. vt refertur in Concilio Vvormatiensi, & in decr. 96. dist. can. *illud superfluum*, dicit Extremam Vñctionem solere fieri Chrismate, quæ vox significat oleum mixtum balsamo, vt dictum est supra, circa Confirmationem.

4. Absurdum est dicere, eum qui sufficit ad perficiendum sacramentum non sufficere ad sacramentale quoddam præuium respectu eiusdem sacramenti. Sufficit autem simplex sacerdos ad perficiendum hoc sacramentum. Ergo idem sufficit multo magis ad consecrandum oleum, nec præcisè requiritur, vt ea consecratio fiat ab Episcopo. Confirmatur, quia apud Græcos ex antiquissima consuetudine Presbyteri benedicunt oleum infirmorum de licentia, & commissione Episcopi, vt testatur Arcudius lib. 5. de sacram. c. 2. vbi addit eam consuetudinem approbatam fuisse à Clemente VIII. in quadam instru-

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

ctione de ritibus Græcorum, atque Caiet. Palud. Soto, Victoria, & Valentia dicunt sufficere ad valorem sacramenti, benedictionem Presbyteri saltem benedicens commissione summi Pontificis.

5. In reliquis omnibus sacramentis forma est affirmatiua, & indicatiua, idque videtur esse de ratione sacramenti, vt potè operatiui, & efficacis ex suo conceptu, & non idonei tantum, ad impetrandum aliquid à Deo, sicut impetrat oratio, si expediat, quod petitur, & non aliter, seu non absolute, ac infallibiliter. Ergo male adhibetur in hoc sacramento forma pure deprecatiua, ac optatiua. Confirmatur, quia tempore Diui Ambrosij forma Ecclesiæ Mediolanensis erat affirmatiua, ac indicatiua: *Vngo te oleo sanctificatio &c.* vt refert Bonau. dist. 23. p. 1. art. 1. q. 4. Similemque formam refert ibidem Palatius ex lib. Sacramentali Venetorum approbato, vt ipse dicit à Leone X.

Art. 1. Respondetur, materia remota huius sacramenti est oleum simpliciter dictum, idest oleum oliuarum consecratum ab Episcopo, vt tradunt Concilium Florentinum, in dicto §. *Quintum Sacramentum*, & Trid. in prædicto cap. 1. sess. 14. addens id Ecclesiam didicisse ac intellexisse ex Apostolica traditione, per manus accepta. Materia proxima est Vñctio, vt colligitur ex verbis Iacobi supra relatis, & ex eo etiam deprehenditur, quia hoc sacramentum non est permanens sicut Eucharistia, sed consistit essentialiter in vñtu, sicut reliqua sacramenta. Forma, quam trident tradunt Florentin. & Trident. est hæc: *Per istam sanctam Vñctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.*

Art. 2. Circa istam formam supponitur iuxta dicta supra in communi, & deinde in particulari, præsertim circa baptismum, & confirmationem quæst. 40. & 53. quamlibet aliam illi æquiualem, perfectè sufficere ad valorem sacramenti. Cæterum necesse est formam esse explicitè, vel saltem implicitè, deprecatiuam, atque modi optatiui, quia quæ est purè affirmatiua, & modi indicatiui, nec congruit verbo orationis expressè à Iacobo *orens super eum*, nec potest æquiualeere formæ determinatè præscriptæ à Conciliis, ideòque venienti ti ex determinata quoad substantiam institutione Christi Domini, iuxta Doctrinam sæpe repetitam superius de materiis, & formis sacramentorum omnium institutis determinatè à Christo Domino, & inuariabilibus ab Ecclesia quoad substantiam ipsarum. Circa materiam remotam non est omnino certum ex fide, quod sit necessarium necessitate sacramenti, seu vt sacramentum validè perficiatur, oleum esse consecratum ab Episcopo, dicentibus, Cajetano, & aliis cum fundamento paulo prius indicato, sufficere, quod sit benedictum à Presbytero ex commissione Episcopi, vel saltem summi Pontificis, cæterum ego dimoueri non possum, circa hoc etiam sacramentum à sententia, quam tenui in simili circa confirmationem, de qua videri potest quæst. 53. Nempe vtrumque Concilium Florentinum, & Tridentinum definit apertè, materiam huius sacramenti esse oleum Benedictum ab Episcopo, nec video, quæ, seu ratione, seu tergiuersatione persuaderi satis possit oleum oliuarum, esse determinatè necessarium necessitate sacramenti propter auctoritatem Conciliorum, & tamen non esse similiter necessarium oleum benedictum ab Episcopo, seu quod sit benedictum ab Episcopo, propter eandem auctoritatem; quandoquidem Concilia æque, eodemque prorsus modo exprimunt entitatem rei, & qualitatem benedictionis Episcopalis.

Art. 3. Quoad materiam proximam, & formam, sciendum

sciendum est septem vnctiones, in septem corporis partibus, cum totidem repetitionibus formæ exprimentis singulas partes, dum singulæ vnguntur præscribi à Concilio Florentino; Nempè in vtrisque oculis propter peccata visus, & similiter in auribus, in naribus, in ore, in manibus, in pedibus, in renibus. Certum porro est sextam & septimam vnctionem pedum, & renum non esse essentielles, & quidem septima renum communiter prætermittitur præsertim in vnctione femininarum propter honestatem, ob quam sexta quoque pedum in eisdem est difficilis, atque in multis Ecclesiis prætermittitur, etiam quoad masculos. Certum rursus est reliquis quinque vnctiones esse necessarias saltem necessitate præcepti: tum quia omnia aliqua earum, valor sacramenti redditur dubius, asserente D. Thoma & pluribus aliis, omnes quinque esse essentielles; tum quia vsus communis, ac vniuersalis Ecclesiæ eas omnes adhibet, nec ab vsu Ecclesiæ vsque adeo vniuersali, in re vsque adeo graui receditur absque graui peccato. Caterum probabile videtur, quamlibet vnā vnctionem cuiusvis vnus partis, cum vnica formæ enunciatione, præsertim exprimente omnes sigillatim sensus, sufficere ad essentiam, & valorem sacramenti, quæ sufficiunt se solis ad significandum effectum eius. Videtur autem sufficere ad significandum effectum huius sacramenti, quælibet seorsim vnctio, coniuncta cum vnica enunciatione formæ, exprimente specialiter omnes quinque sensus. Quia repetitio formæ repetit, non verò auget, seu extendit significationem effectus, sed semper eundem effectum significat, atque vnctio quælibet totum hominem denominat vnctum, sicut quælibet ablutio baptismalis facta, licet in determinata corporis parte, totum hominem denominat ablutum, atque ideo quælibet vnctio videtur sufficere ad significandum effectum interiorem, totalis sanationis animæ. Probabile igitur est sacramentum essentialiter subsistere, cum primum existit aliqua alicuius sensus vnctio, coniuncta cum forma exprimente omnes quinque sensus.

Art. 4. Inquam verò exprimente omnes quinque sensus. Quia forma exprimens vnum tantum sensum, vel duos tantum &c. non significat adæquatè effectum sacramenti, neque quidquam operari potest ex vi suæ significationis. Nihil enim inducitur per hoc sacramentum, quod habeat vim remittendi, aut perfectius remittendi peccata pertinentia ad vnum sensum potius, quam ad alium, sed quidquid inducitur, vniuersaliter, & æqualiter, opponitur omnibus omnium sensuum peccatis, vt infra patebit, & est in confesso apud omnes, nec ex parte suscipientis sacramentum datur aliquid, quod vim eam vniuersalem restringere, seu determinare possit ad certum genus peccatorum; Vnde parum probabilitatis habet, si & aliquid habet, valor sacramenti peracti per vnica vnctionem formæ exprimente vnicum tantum sensum. Quapropter in nullo vllius necessitatis eventu, puto esse licitam administrationem huius sacramenti, per solam vnā vnctionem, & vnā eiusmodi prolationem formæ. Licet verò in morbis contagiosis, aut aliqua simili urgente necessitate si exprimantur omnes quinque sensus, dicendo: *Quidquid deliquisti per visum, auditum odoratum, gustum, & tactum.* Cui operandi modo plurimum suffragatur, & magnum autoritatis, ac probabilitatis pondus adiicit, vltra suffragium Scoti, & aliorum non paucorum, Pastorale Ecclesiæ Mechliniensis, quod vna cum Archiepiscopo tota vniuersitas Louanienensis approbavit anno 1588. præscribit enim can.9.

de Extrema-Vnctione prædictum vngendi modum pro tempore pestis.

Art. 5. Verum longè probabilius est, quod docent Albert. Mag. dist. 23. art. 18. D. Thomas ibid. quæst. 1. a. 1. quæst. 2. Suarez disp. 43. sect. 2. & plerique alij Theologi, pertinere ad essentiam huius sacramenti omnes quinque vnctiones, simul cum forma exprimente seorsim omnes sensus. Ratio est, quia sicut prolatio formæ cum expressione vnus tantum sensus, restringit significationem, adeoque, & efficaciam sacramenti ad peccata illius sensus; ita etiam vnctio facta in oculis, exempli gratia; habet symbolicam significationem restrictam ad remissionem peccatorum eiusdem sensus. Vnde non datur completa significatio vllius effectus sacramentalis, vtpotè æquæ, ac indiuisim respicientis omnia omnium sensuum peccata, quousque perficiantur omnes vnctiones, cum verbis exprimentibus seorsim omnes sensus. Neque quoad hoc tener paritas ablutionis baptismalis. Quia hæc non fit supra sensum aliquem determinatum, cum linitione ibidem hærente determinatè, sed finitur aqua excurrere in quamcunque partem, atque eo ipso demonstratur actionem ablutiuam, ex intentione abluentis, respicere totum hominem; & præterea forma baptismi penes quam est præcipua vis, & vltima determinatio significandi, terminatur ad totum hominem; cuius oppositum vtrunque apparet manifestè in hoc sacramento. Ergo essentia, & valor huius sacramenti, tunc primum datur, cum primum existit quinta vnctio cum expressione vltimi sensus ex parte formæ. Ex his porro, quæ hucusque dicta sunt colligitur esse legitimam definitionem huius sacramenti quasi physicam, quæ vulgò circumfertur. Extrema Vnctio est sacramentum vnctionis in oleo consecrato, morientis corpori adhibita, sub præscripta forma verborum.

Ad 1. Licet oleum non proveniat vbique, vbi que tamen habetur facile, quantum sufficit ad vnctionem sacramentalem, quia facile transfertur de vno loco in alium quemlibet, deinde hoc sacramentum non est necessarium ad salutem, sicut Baptismus.

Ad 2. Mordacitas vini non ita congruit debilitati moribundi, sicut lenitas olei, & quia Deus voluit ostendere in hoc sacramento piissimam suam misericordiam, quæ, & exprimitur in eius forma, oleum potius instituere voluit, atque de facto ipsum solum instituit.

Ad 3. Hoc sacramentum solam confert immediatè serenitatem, & nitorem conscientie, quem significat oleum, vt dictum est alibi ex Florentino, idèque solo oleo perfici debet. Quia odor bonæ famæ, quem potissimum denotat balsamum non est amplius necessarius iam decessuris. Innocentius vsurpat in illo loco vocem Chrismatism in latiori significatione pro liquore idoneo ad vngendum, vt sæpè aliàs etiam vsurpatur.

Ad 4. Perindè est argumentari in re morali à potestate perficiendi sacramenti, ad potestatem perficiendi sacramentalis, quod est minus, atque argumentari in re physica à virtute producendi formam, ad virtutem producendi materiam primam, quæ est minus perfecta. Quare sicut ab omnibus merito reprobarur posterius hoc argumentum; ita, & prius reprobari debet. Ratio vniuersalis est, quia pro sufficientia alicuius virtutis ad aliquid, non solum consideratur perfectio termini ad quem, sed etiam defectus perfectionis, & inchoationis ex parte termini à quo; quatenus sicut facillè est inuentis addere; ita etiam facillè est superaddicare maiorem perfectionem, præsupposita tanquam fundamento

fundamento, perfectione aliqua minori; difficultum verò est, operari penitus de nouo; atque extrahere rem ex infinita nihili profunditate. Mirum igitur non est ad consecrationem materiæ penitus profanæ requiri excellentiam Episcopalis potestatis, nec sufficere virtutem presbyteralem, quæ sufficit deinde ad perficiendum sacramentum; atque hoc modo Episcopum subordinare sibi presbyteros; sicut de causa prima subordinat sibi causas secundas, creatione materiæ. Quod ad Græcos attinet, eorum Extrema Vnctio facta oleo benedicto simpliciter presbytero, est apud me valde dubia. Certe Clemens VIII. non approbat eam eorum consuetudinem in instructione, cuius meminit Arcudius, sed solum dixit, non esse cogendos Presbyteros Græcos, ad mutandam consuetudinem. Quod non est approbare, sed tantum tolerare quoad rem in qua neutra pars est omnino certa ex fide.

Ad 5. Hoc inter alia differt Sacramentum Extreme Vnctionis, quod reliqua Sacramenta semper, ac infallibiliter operantur aliquem effectum, positis omnibus pertinentibus ad constitutionem eorum, simul cum consensu recipientis, necnon verba Eucharistica independentem ab omni alterius consensu. Quia Baptismus, Confirmatio, & Ordo; semper inducunt characterem, & Matrimonium inducit similiter inuicem socialis vitæ obligationem, nec minori necessitate absolutio sacramentalis remissionem peccatorum, si adsit in penitente contritio, vel attritio, quæ pertinet ad essentiam eius sacramenti, ut dictum est supra. Quapropter in reliquis sacramentis semper, ac necessario adest, aliquis effectus, ratione cuius verificetur forma modi indicatiui, ac affirmatiui. Nihil autem eiusmodi necessario, adest in Sacramento Extreme Vnctionis. Quia fieri potest, ut dentur omnia, quæ pertinent ad intrinsecam eius constitutionem, & nullius nihilominus sequatur effectus ob defectum dispositionis ex parte susipientis, quæ non pertinet similiter ad essentiam sacramenti, oportuit igitur formam eius esse deprecatiuam, & modi optatiui, ne exponatur periculo falsitatis. Accedit hoc Sacramentum solis dari moribundis, qui propterea sunt viribus propriis destituti, & relinquuntur misericordiae diuinæ implorandæ per orationem aliorum. Quod attinet ad formulas Ambrosianam, Venetam, & si quæ sunt similes modi indicatiui, ac affirmatiui dicendum est, vel esse æquiualeuter deprecativas, vel potius semper præmitti, aut superaddi orationem propriè talem, atque hanc solum habere rationem formæ, ut dicit, D. Th. qu. 29. art. 8. ad 3.

QVÆSTIO XCIX.

Vtrum minister, & subiectum extreme vñctionis sint Presbyter, & moribundus.

Videntur non esse. 1. Quia efficacia huius sacramenti nittitur oratione, ut patet ex verbis Iacobi. Oratio autem laici potest esse tam efficax, & sæpè est efficacior, quàm oratio sacerdotis. Ergo laici sunt idonei ministri huius sacramenti, & nonnulli sunt magis idonei, quàm aliqui sacerdotes.

2. Solus Episcopus est minister idoneus Sacramenti Confirmationis, quod peragitur vñctione, & materia remota ab eodem consecrata, sicut hoc sacramentum. Ergo solus Episcopus est idoneus minister huius etiam sacramenti, sicut solus ipse est sufficiens ad consecrandam eius materiam.

3. Illi omnes, & soli sunt capaces alicuius sacramenti, qui sunt capaces recipiendi eius effectum, eoque indigent. Huiusmodi autem capacitatem, ac indigentiam, nec soli, nec omnes moribundi habent. Non quidem soli, quia etiam sani, sunt capaces perfectæ remissionis peccatorum, eaque indigent, nec etiam omnes, quia pueri, alique expertes rationis non sunt capaces perfectæ remissionis peccatorum, eo genere perfectionis, quæ est propria huius sacramenti, ut patebit quæst. sequenti. Et præterea aliqui moribundi sunt incapaces ipsius etiam vñctionis sacramentalis, quia sunt mutilati, & carent partibus, in quibus debet fieri vñctio. Rursus aliqui moribundi præsupponuntur iam vñcti in alio priori vitæ periculo, atque hoc sacramentum videtur esse interabile: sicut Confirmatio, cui est vsque adeo simile.

Artic. 1. Respondetur sacramentum Extreme Vnctionis est nobilius, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, ut dictum est quæst. 35. art. 4. Et confirmatur, quia hoc sacramentum est consummatiuum, atque vltimò perfectiuum Pœnitentiæ, ut dictum est ex Concilio Tridentino quæst. 97. artic. 3. idèoque comparatur cum pœnitentiâ, tanquam formale cum materiali, & tanquam actus cum potentia, & præterea subuenit homini in maiori debilitate constituto, vehementius impetito ab hoste, magisque periclitanti de salute animæ, cui proinde valentius, ac præstantius subsidium adhiberi debeat. Cum igitur ob hæc istud sacramentum præmineat pœnitentiæ, minister eius non potest esse inferioris gradus, quàm sit minister pœnitentiæ, qui est sacerdos, ut dictum est supra. Quia verò idem sacramentum est minus perfectum, quàm Confirmatio, & Ordo, ut liquet ex eadem quæst. 35. nec confert peculiarem aliquem gradum dignitatis in Ecclesia, sed est promotiuum pœnitentiæ intra idem genus perfectionis, non requiritur in eius ministro, præminetia apicis Episcopalis, sed sufficit simplex sacerdos. Quilibet igitur sacerdos validè perficit hoc sacramentum, tamen extra casum necessitatis, & defectus Parochi nolentis, aut non valentis ministrare, solus idem Parochus, licetè illud administret. Confirmatur ex verbis Iacobi, *inducat Presbyteros*, quisque nimirum suos si possit, sin minus quosuis alios. Iam verò obseruatum est iterum supra, quod dicit Apostolus pluraliter, Presbyteros, accipiendum esse cum distributione accommodata singulorum infirmorum, ad singulos Presbyteros, prout accipiunt Concilium Florentinum, & Tridentinum vbi supra, atque conuincit perpetua Ecclesiæ, & traditio, & consuetudo; licet autem citra necessitatem, recedendum nequaquam sit ab usu Ecclesiæ communi, ut vnus vni administret; si tamen contingat sacerdotem, postquam cepit vngere mori, aut aliter impediri, quò minus absoluat, ac perficiat opus, potest pergere, atque addere, quod deest alius sacerdos, ut docent D. Thomas, & alij communiter. Imò licet urgente necessitate, ut plures sacerdotes vngant singuli singulos sensus cum forma congruente, ut docent Henriquez, Martihon, & alij. Quia videlicet nullus textus suadet oppositum, nec natura ipsa sacramenti contradicit, sed annuit magis, ut patet consideranti. Ratio porro ob quam, quilibet sacerdos validè perficiat hoc sacramentum, etiam extra casum necessitatis, & præsentis, ac renitente Parochio; id verò ipsum fieri non possit in administratione pœnitentiæ, fundatur in eo quod absolutio sacramentalis est actus iurisdictionis, ut dictum est in loco, vñctio verò non est actus iurisdictionis, sed solius ordinis sacerdotalis.

Artic. 2. Ex parte susipientis requiritur imprimis, ut sit baptizatus, cum baptismus sit Ianua sacramen-

torum, vt sapè dictum est. Requiritur deinde, vt sit compos rationis, & capax peccandi, vt colligitur ex illo Iacobi, inducat presbyteros. Nec enim præcipi, aut suaderi potest, vt inducat presbyteros, ei, qui ne desiderium quidem concipere potest inducendi presbyterum, nec indicium præbere vllum desiderij, tunc, vel antea concepti, vt idem ab aliis inducatur. Colligitur rursus efficacius; tùm ex illis aliis verbis eiusdem Iacobi, *alleuiabit, remittentur*; tùm ex forma huius sacramenti, *indulgeat vbi Dominus, quidquid peccasti per visum, &c.* Nec enim est capax alleuiationis spiritualis, & remissionis peccatorum, qui non est, aut saltem antecedenter non fuit compos rationis, & capax peccandi. Sufficit verò visum rationis præstitisse, tametsi non adsit, tùm, cum suscipitur sacramentum, quia vsus rationis antecedens sufficit, vt tolli possint reliquæ peccatorum, necnon peccata ipsa, si quæ supersint nondum condonata, qui est effectus proprius huius sacramenti. Vnde pueri ante septennium, & perpetuo amentes non sunt capaces huius sacramenti; sunt verò capaces omnes adulti baptizati, qui sunt, vel aliquando fuerunt capaces peccandi propria voluntate, sed requiritur præterea vltimò, vt suscipiens hoc sacramentum sit moribundus, seu in supremo vitæ periculo constitutus, per dispositionem lethalem sibi inhaerentem. Ita definiunt Concilium Florentinum, & Tridentinum vbi supra, & colligitur ex verbo Iacobi, *infirmatur quis in vobis*, cui vulgata nostra verbo, correspondet in Græco vox significans infirmitatem grauem, & periculosam. Vnde non vltimò periclitanti nulliter hoc sacramentum daretur. Neque verò sufficit qualibet proxima mortis instantia, qualis datur in iis, qui proximè suspendendi sunt, vel aliter necandi violenter; cùm in se sint benè dispositi ad viuendum. Quia hi eo ipso sunt sufficienter dispositi ad orandum pro se ipsis, & ad querendum per se ipsos alia salutis æternæ remedia, nec patiuntur specialem illam debilitatem mentis, & corporis, cui subsunt ij, quibus intrinsecè inest dispositio proximè pertrahens ad mortem. Nihil verò interest, vnde ea dispositio prouenerit, an ex morbo naturali, vulnere, veneno, senio, vel alio simili accidenti, quæ est doctrina communis Theologorum in præsentia. Quia vndeque proueniat, dummodò inest intrinsecè; semper est coniuncta cum prædicta debilitate fundante necessitatem, & opportunitatem huius præsidij.

Artic. 3. Cæterum necesse non est, nec expedit expectare, donec infirmus constituatur in vltima agonia sitque semimortuus, ac sensibus penitus, aut ferè destitutus. Sufficit enim maiorem esse timorem mortis proximè superuenturæ, quam spem infirmitatis superandæ, atque prouidendum est, vt sacramentum conferatur, dum sensus vigent, & ratio, vt dispositio sit melior maiorque deuotionis, & consolationis spiritualis fructus, atque in dubio satius est, præuenire, quam nimium differre. Quod si morbus eo usque processerit, vt iam sensus, ac ratio desit, imò etiam si dubitetur, an iam sit mortuus infirmus, ne tùm quidem negandum est sacramentum, quia tunc etiam est spes, quod prosit interius, per collationem gratiæ. Quæ omnia docet ex communi, & fusius confirmat Suarez ex communi cæterorum Theologorum. Quorum communis itidem observatio est, quando hoc sacramentum datur carenti actualiter vsu rationis, oportere, vt in eo præcesserit consensus, & voluntas explicita, vel implicita, suscipiendi huius sacramenti, quæ tamen voluntas semper sufficienter præsumitur in homine non improbo, nec admodum suæ salutis incurio. Non ita facillè præsumitur contritio, vel attritio, sed necesse est, vt eius peculiare aliquod indicium

exterior præfuerit, si constiterit infirmum, dùm esset sui compos peccasse lethaliter, nec iustificatum fuisse per aliud medium. Ex his itaque apparet ministerium huius sacramenti esse Presbyterum, subiectum verò esse moribundum, & quænam ex parte vtriusque conditiones requirantur.

Ad 1. Oratio, quæ est forma huius sacramenti, quatenus forma, & pars eius est, non inducit suum effectum ex opere operantis, sed ex opere operato, nec funditur à ministro, tanquam à persona priuata, sed in persona totius Ecclesiæ. Propterea nihil impedit efficaciam sacramenti improbitas ministri, etiam infidelis, ac hæretici; requiritur verò, vt idem minister sit Sacerdos, qui solus, & non laicus potest orare tanquam persona publica, nomine totius Ecclesiæ, & tanquam eamens vicarius Christi, qui est sacerdos in æternum.

2. Patet ex dictis supra quæst. 54. vbi innouit confirmatum adscribi permanentem militiæ spirituali, eademque imprimi characterem huius militiæ, proptereaque opus esse Episcopo, qui est Dux in Ecclesia. Nihil autem eiusmodi datur in Extrema Vnctione. Et præterea hoc sacramentum est maioris necessitatis, quàm confirmatio, vt dicitur quæst. 101. ideòque oportuit ministrum eius esse magis obuium, quique facilius adire possit infirmum, quandocumque indigerit.

Ad 3. Quoad priorem eius partem sani non indigent ea perfectione remissionis peccatorum, quam donat hoc sacramentum, vt paulò post apparebit. Quoad alteram partem conceditur intentum de pueris, deque aliis perpetuò expertibus rationis; negatur verò imprimis, eos, qui aliquando vsi sunt ratione, tametsi actu ea destituantur esse incapaces omnium effectuum specialium huius sacramenti, esto potiri non possint omnibus eius effectibus, vt apparebit in eadem quæst. seq. Deinde, qui carent aliquo sensu, aut parte vngenda, non propterea necesse est, vt careant peccatis internis, circa obiectum eiusdem sensus, aut partis, quæ propterea nihilominus dicuntur peccata eiusdem sensus, aut partis. Vnde vtiliter, & opportunè vnguntur taliter mutilati, seu defectuosi in parte propinquiore, respectu eius, quæ deest. Denum quoties recurrit nouum periculum vitæ ex morbo, vel alia simili indispositione lethali corporis, toties repetitur hoc sacramentum, ideòque omnis moribundus, & quoties de nouo est talis, de nouo est capax huius sacramenti. Quod videlicet non imprimit characterem, sicut imprimit confirmatio.

Q V A E S T I O C.

Virum effectus huius sacramenti sit perfectio sanitatis spiritualis?

Videtur non esse. 1. Quia perfectio sanitatis spiritualis habetur per exclusionem omnium peccatorum. Quæ videlicet sola opponuntur sanitati spirituali, eiusque perfectioni. Exclusionem autem omnium peccatorum operantur Baptismus, & Penitentia. Ergò eadem hæc duo sacramenta operantur perfectionem sanitatis spiritualis, & non Extrema-Vnctio.

2. Omnes, & semper indigent perfectione sanitatis spiritualis, atque ad eandem procurandam omnes, & semper tenentur, iuxta illud: *Estote perfecti sicut Pater vester Cælestis perfectus est.* Non autem omnes, & semper tenentur ad suscipiendum hoc sacramentum, aut ad habendum hoc sacramentum, vt patet

ex

ex nuper dictis. Ergo perfectio sanitatis spiritualis, non habetur per hoc sacramentum. Accedit Christum Dominum, & Beatam Virginem habuisse in summo gradu eiusmodi perfectionem, quam etiam suo modo maximam consecuti sunt Sancti Martyres, qui tamen non perceperunt effectum huius sacramenti, cum nec ipsum sacramentum perceperint.

3. Aqua Baptismalis ita abluit spiritualiter animam, ut simul abluat materialiter corpus, ubi ipsum contingit. Ergo similiter oleum, quod ex sua natura est lenitium, ac mediativum, ita causat interius sanitatem spirituales, ut simul etiam causet sanitatem corporalem. Ergo effectus huius sacramenti, non est perfectio solius sanitatis spiritualis.

4. Non minus distinguitur vnctus à non vncto, quam baptizatus à non baptizato, & propterea hoc sacramentum perficitur vnctione, sicut ordo, & confirmatio. Ergo hoc sacramentum, ultra perfectionem sanitatis inducit characterem, sicut inducunt illa alia sacramenta. Accedit in omnibus sacramentis dari aliquid, quod sit res, & sacramentum simul, iuxta commune Theologorum axioma. Nihil autem eiusmodi daretur in hoc sacramento, si non imprimeret characterem.

Artic. 1. Respondetur. Sicut per baptismum regeneratur homo spiritualiter, & per poenitentiam suscitatur, ac reuiuiscit; ita per Extremam-Vnctionem sanatur, & vita prae-habita promouetur ad integram virium firmitatem. Vnde sicut medicina corporalis sanatiua corporis, & reparatiua virium naturalium, praesupponit vitam corporalem in eo, cui adhibetur, ita hoc sacramentum praesupponit vitam spirituales, ac proinde deletionem peccatorum omnium lethaliu, solumque inducit per se remissionem venialium de nouo, tollitque effectus peccatorum lethaliu adhuc superstitis, quatenus labefactant vires animae, ad retinendos viriliter hostiles assultus. Quia de causa hoc sacramentum dicitur viuorum, nec potest suscipi per se absque nouo sacrilegij peccato, ab eo qui est sibi conscius peccati lethalis, ut docent omnes Theologi cum D. Thoma quaest. 30. suppl. artic. 1. Praedictam virium reparationem, & ablationem peccatorum praecedentium, quoad eorum reliquias debilitatiuas vigoris spiritualis esse effectum proprium huius sacramenti colligitur imprimis ex promissionibus diuinis illi adiunctis per Iacobum capite illo 1. Epistolae suae, dum dicit: *Saluabit infirmum, & allenabit eum Dominus*. Quia saluatio, quae restat superaddenda infirmo, consistit in reparatione virium, quas attenuat infirmitas, idque ipsum ponit ob oculos distinctius allenatio, quae non aliter fit, quam superinducto vigore, qui deat viuenti. Idem effectus manifestatur clarissime à Concilio Tridentino cap. 2. de hoc sacramento, dum dicit esse de eius effectus: *Res hac gratia est Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & agroti animam alleniat, & confirmat, magnam in eo Diuinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuiter fert, & temptationibus Demonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit*. Idem denique colligitur ex ipsa sacramenti significatione. Ex parte quidem materiae; Quia vnctio olei, quod est medicatiuum, ac lenitiuum iuxta illud Isaia 1. 6. *Plaga tumens non est creata medicamine, neque sorta oleo*, quatenus adhibita infirmo ex sua natura ordinatur ad significandam reparationem virium eius, & quia idem oleum est valde penetratiuum, significat idonee remedium, quod adhibetur, peruadere vsque ad vltimas reliquias plagarum, & ad minimas vsque plagulas peccatorum venialium. Ex parte verò formae, quia per eam imploratur mis-

ericordia Dei, quae piissima est, quae superlatiua significatio pertinet ad remissionem peccatorum, tum grauium, quoad accidentales eorum reliquias, tum leuium, quoad substantiam etiam ipsorum. Nempe primus gradus misericordiae erga peccatorem est, condonare peccata lethalia, secundum se, alter vero est condonare tum eadem peccata graui quoad reliquias accidentales ipsorum, tum leuia, quoad totum ipsorum malum.

Artic. 2. Quia verò hoc sacramentum solis confertur moribundis, ideoque destitutus vigore mentis, & corporis, ex conditione subiecti restringitur praedictus sanationis effectus, eiusque significatio sacramentalis, ad ablationem debilitatis eius spiritualis, quae opprimit infirmum, vltimò periclitantem, dum ita agrotat, atque in eo versatur periculo: Vnde transacto eo morbi periculo, siue succedat mors, siue salus, nihil amplius operatur directe, ac immediate, hoc sacramentum. Hinc apparet primò ratio cur hoc sacramentum non imprimat charitatem, ut tradunt omnes cum D. Thoma praedicta quaest. 30. artic. 3. Quia videlicet character est effectus permanentiter inhaerens, & conferens ius itidem permanens, ad auxilia gratiae opportuna, quoties recurrerit occasio, & necessitas eorum, pro fine aliquo peculiari, ad quem toto vitae decursu tendere tenetur, qui suscepit sacramentum, eiusque characterem. Indidem rursus apparet ratio, ob quam toties iterandum est hoc sacramentum, quoties ingruit de nouo periculum vitae coniunctum cum virium debilitate. Quia videlicet solis adhibetur moribundis, adeoque morituris per se loquendo, quin recurrat occasio noua auxiliorum gratiae, quae subministrat: apparet denique pro hoc sacramento valide, ac licite suscipiendo, non esse praecise necessariam peculiarem aliquam dispositionem actualem ultra statum gratiae, quae dictum est requiri, solumque sufficere per se consensum suscipiendi implicitum, vel explicitum, quia in homine absolute iusto, & sancto, nullum est impedimentum argumenti gratiae, & auxiliorum actualium, quod sit ex sua natura impossibile cum ipsis, ac proinde causa horum praecise effectuum inductiua per se non indiget, ut operatur, dispositione peculiari. Ceterum quia sacramenta omnia eo plus operantur, quo subiectum melius est dispositum, consultius est ut infirmus disponatur per actus, quantum fieri potest intensos, ac feruentes spei, praesertim, & charitatis. Expedi praeterea praemittere actum attritionis, circa peccata venialia, quorum dimittendorum vim habet hoc sacramentum sicut sacramenta cetera, nec dimittere ea potest, non praesente aliquo motu doloris, & poenitentiae, ut dictum est superius non semel.

Artic. 3. Atque haec quidem sunt in confesso apud omnes, aut fere. Illud superest iam controuersum inter Theologos an hoc sacramentum possit remittere etiam per accidens peccata lethalia, nondum condonata secundum se. Videtur probabilius posse ea remittere, existente in moribundo bona fide, quod sit in gratia, simulque praesente contritione perfecta, vel attritione, totaque dispositione requisita ad iustificationem per sacramentum, iuxta dicta supra circa baptismum, & poenitentiam. Ita docet D. Thomas praedicta quaest. 30. artic. 1. alique communiter ibidem, fundamentum adest ad ita affirmandum in illa Apostoli conditionali, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Haec enim promissio, quatenus conditionaliter effertur, & subiungitur post promissiones alias absolutas, *saluabit, allenabit*, indicat vim remittendi peccata lethalia, non pertinere ad primum huius sacramenti conceptum, nec ipsam remissionem

remissionem prouenire ex eo per se, sed per accidens, & consequenter tantum; ceterum eadem promissio non verificatur, vt iacet, & secundum totam latitudinem suæ propriæ significationis, si idem sacramentum in nullo prorsus euentu potest remittere ex opere operato peccata etiam lethalia, quæ, vel maxime intelliguntur nomine peccatorum absolute prolato, vsque adeo vt sola ipsa satis frequenter intelligantur sub ea voce secundum se, tum in sacris litteris, tum apud Auctores alios. Quid quod incongrua esset eiusmodi locutio, si sola intelligenda essent peccata venialia, vel solæ reliquæ peccatorum lethaliū. Quia vtrumque hoc malum est commune, & familiare, cum tamen conditionalis eiusmodi locutio vsurpari non soleat, nisi circa raro contingentia, & quæ non præsumuntur per se. Eadem ponderatio aptè cadit in verba Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. *Res hæc gratia est Spiritus Sancti cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Vbi præterea est obseruandum, delicta non tam dici solere peccata venialia, quam graua, ac lethalia; nec tam propriè adhuc expianda dici absolute, quæ sunt iam remissa quoad substantiam, quam quæ nullatenus adhuc remissa sunt; ac demum siquidem peccati reliquæ intelliguntur, tam lethalis, quam venialis, delicta quoque intelligi debere tam lethalia, quam venialia, eaque secundum se, & non tantum quoad aliquas reliquias, & secundarios effectus, ne idem bis dicatur, aut in vniuersaliori significatione vsurpetur *Tò peccati*, quam *Tò delicta* absque fundamento in textu, aut in ratione aliqua vrgenti ad tale discrimen. Adde hunc effectum sufficienter significari per formam huius sacramenti, dum dicitur: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, &c.* ex his apparet ratio discriminis, quo minus eadem virtus remittendi per accidens peccata lethalia, attribuat reliquis sacramentis viuorum. Nempè in reliquis nullum apparet simile fundamentum, aut ex parte significationis formæ, aut ex authoritate aliqua sacra, sed magis oppositum, vt patet ex dictis, & dicendis circa singula, necnon in communi quæst. 26. ratio conuenientiæ, ob quam Deus ita instituere voluerit, est, quia suscipienti reliqua sacramenta viuorum in statu peccati, superest adhuc tempus repetendi cum fructu sacramentum pœnitentiæ, superest quoque vires ad recogitandum peccata, & ad conandum, vt de ipsis conteratur perfectè. Vtrumque autem deest suscipienti hoc sacramentum, idèque æquum specialiter, atque conueniens fuit, vt hoc sacramentum institueretur cum plenissima indulgentiâ vi, respectu suscipientis ipsum bona fide, & cum præindicata bona dispositione.

Artic. 4. Nihil necesse est hic dicere circa instantans, pro quo Extrema-Vnctio inducit suos istos effectus. Quia ex dictis quæst. 98. liquet eos induci, iuxta sententiam probabiliorē, & apud me veram, pro eo instanti pro quo primum essentialiter completur vltima vnctio cum sua forma; iuxta sententiam verò aliam absolute probabilem, eosdem induci pro eo instanti, pro quo primum essentialiter completur prima vnctio cum sua forma, cuiuscunque demum sensus ea fuerit. Videatur Doctrina data suprâ in communi quæst. 29. Atque hoc dictum sit de gratia solum habituali. Nempè auxilia actualia suppeditantur ex vi huius sacramenti pro toto tempore, quo durat periculum vitæ, ratione cuius datum est sacramentum, idque quoties opportunum est, & indiget de nouo infirmus ad superandos dæmonis assultus, ad tolerandam patienter infirmitatem, atque ad alios similes pios, & salutes animi motus, alioquin retardandos vi præcedentium peccatorum,

& præsentis virium debilitatis. Quia verò hæc omnia conferuntur in vltima vitæ periodo, atque tunc de vnoquoque dicitur, quod assequatur suam perfectionem, cum ei vltima manus adiicitur, atque acquirit id, quod ex sua natura est vltimò perfectiū ipsius; concluditur omnes effectus huius sacramenti, propriissimè pertinere ad perfectionem sanitatis spiritualis, omnesque summam sub hoc conceptu comprehendendi.

Ad 1. Ad perfectionem sanitatis spiritualis, vltra exclusionem peccatorum requiritur, vt excludantur eorum etiam effectus, & reliquæ, quod non habetur, saltem per se, per vllum aliud sacramentum eo modo, quo per illud obtinetur.

Ad 2. Non tenentur omnes, & semper, vt habeant vltimum complementum sanctitatis, & iustitiæ, quod solum adiicitur in articulo mortis. Dictum autem est nomen perfectionis sanitatis spiritualis, propriissimè conuenire soli eiusmodi complemento. Christus autem Dominus, & Beata Virgo, habuere cumulatissimam sanitatem, idèque non egere accidentali aliqua eiusmodi perfectione sanitatis spiritualis. Sed nec sancti Martyres aut alij decedentes absque præuia dispositione physica corporis, debilitante vires corporis, atque indè animi, indiguere auxiliis actualibus gratiæ, quæ intrinsecè ex sua natura subuenirent tali virium debilitati, quæque propterea essent vltimò completiua, ex sua natura, sanitatis spiritualis.

Ad 3. Aqua baptismi non abluit corpus, quatenus est pars sacramenti, & ex opere operato, sed virtute sua naturali, qua etiam subuenit oleum infirmo, si quid patiat, cui illud mederi naturaliter possit. Ceterum sanitas corporalis non numeratur absolute inter effectus huius sacramenti, sed indirectè tantum quatenus conferre aliquando potest ad sanitatem spirituale. Omnia namque sacramenta instituta sunt directè propter solum bonum spirituale hominis, nec operantur quidquam circa opus, nisi quatenus interest ad bonum animæ consequi aliquid temporale, seu corporale; hæc credo de causa attribuit Iacobus specialiter orationi fidei, salutem corporalem infirmi; vt nimirum indicaret salutem corporalem obtineri per hoc sacramentum, non cum ea infallibilitate, ac vniuersalitate, qua inducunt sacramenta suos effectus directè intentos in eorum institutione, sed ad eum modum, quo oratio impetrat, quod petit, nempè, vbi, & quando, & quatenus oportet, relate ad vltimum finem, & ad vitam æternam. Quo obiter satisfit argumento hæreticorum, inferentium indè solam fidem ministri operari in hoc sacramento, aut eandem in eodem omnino requiri, vt sacramentum valeat, ac prosit infirmo. Quia reliquos effectus speciales alienationis, & remissionis peccatorum non deuinxit similiter orationi fidei, sed ab ea omnino absoluit, vt patet ex contextu.

Ad 4. Iam reddita est superius ratio ob quam istud sacramentum, non imprimit characterem, atque ostensum est eam rationem non tenere in illis aliis sacramentis, cum quibus confertur. Iam sacramentum tantum, dicitur in Extrema-Vnctione, vnctio ipsa simul cum forma, res tantum, gratia habitualis, & auxilia actualia vltimò periclitanti opportuna; res simul & sacramentum dicitur à D. Thoma, & ab aliis communiter, deuotio quædam actualis, quam dat hoc sacramentum per se, & qualem requirit status ille angustiarum animi, & corporis.

Q V A E S T I O C I.

Vtrum Extrema-Vnctio sit Sacramentum necessarium ad salutem vitae aeternae.

Videtur esse necessarium necessitate, & medij, & praecepti medij quidem, quia fieri potest, ut quis damnetur, praecise, quia caruit hoc sacramento, tamen inculpabiliter caruerit; fieri siquidem potest ut decedat in statu peccati lethalis praecise, quia non suscepit hoc sacramentum tamen peccauerit omittendo illud, ut liquet ex quaest. praecedenti artic. 4. Praecepti vero necessitas probatur quia ex lege charitatis unusquisque grauiter obligatur, ut sibi procuret, neque libere negligat hoc tantum praesidium pro articulo mortis. Accedit concilium Senonense decreto fidei. 10. dicens: *Ne hic noster vngendi infirmos ritus, Christi praeceptum, non tamen sacramentum esse videretur, dicit Iacobus, infirmatur quis, &c.* Quae ipsa Apostoli verba appellat mandatum Apostolicum Conc. Colon. anni 1536. p. 7. c. 50. Accedit rursus peccare grauiter non solum Parochum, sed etiam in eius defectu quemlibet alium sacerdotem, si neget hoc sacramentum moribundo ipsum petenti; peccat igitur multo magis moribundus ipse, si illud non petat, aut reiiciat oblatum, quatenus unusquisque tenetur magis ut sibi provideat, quam aliis, ut provideant eidem.

Respondetur: Nemo licite accedere potest ad hoc sacramentum, aut fructuose, ipsum suscipere, quin credat se esse in statu gratiae ante susceptionem eius, ut liquet ex dictis in quaestione praecedenti. Vnde nemo tenetur in conscientia ad suscipiendum hoc sacramentum praecise quatenus tenetur ad deletionem peccatorum praecedentium, cum ante susceptionem credere debeat, iam se aliunde illam consecutum esse. Sed neque tenetur suscipere idem sacramentum, quatenus subministrat auxilia gratiae ad vitanda peccata nondum commissa. Quia independenter ab hoc medio largitur Deus omnibus praesertim iustis auxilia ad id sufficientia; ad superabundantiam vero procuranda nemo tenetur sub peccato. Quapropter nulla est obligatio saltem grauis suscipiendi hoc sacramentum praecise ex natura rei secundum se. Sed neque constat de villo praeecepto Diuino, aut humano, Quia illud Iacobi inducat *Presbyteros* ex indifferens ex se, ad consilium, nec ex subiecta materia sufficienter determinatur ad praeeptum propriè tale. Concilium verò Senonense loquitur de praeecepto Christi circa curationem corporalem infirmorum, quod habetur Marci 6. atque Concilium Colonienſe vsurpat mandatum ut frequenter solet, in latiori significatione, pro admonitione, seu manifestatione voluntatis superioris, siue purè consiliatiua, siue strictè praeeptiua ea sit. Itaque solum per accidens fieri potest ut quis grauiter peccet omittendo hoc sacramentum, vel ex conscientia etranea, vel propter scandalum, si negligenter omittatur tale, ac tantum praesidium in tali articulo, vel quia infirmus non est satis tutus de sua iustificatione, nec suppetit copia confessionis pro sacramento Poenitentiae. Quia verò facilius suboritur scandalum ex voluntaria omissione huius sacramenti, quam aliorum sacramentorum, non certè conferentium primam gratiam; nec difficile admodum est ut insit infirmo exigua admodum certitudo iustificationis iam obtentæ, aut adhuc consequibilis aliunde, atque est longè probabilius, hoc sacramentum posse conferre primam

gratiam quam alia sacramenta viuorum, ut liquet ex quaest. praecedenti; Quia inquam hæc ita se habent, facilius, & pluries occurrit casus grauis obligationis suscipiendi hoc sacramentum, pro tempore opportuno, quam suscipiendi alia sacramenta viuorum, de quibus non exat praeeptum speciale. Quia ipsa ratione confirmatur efficaciter quod superius dictum est ex communi, hoc sacramentum posse dari moribundo, tamen si sensibus destitutus sit, nec sit petendo, nec prius dederit signum aliquod speciale petitionis, aut desiderij: Quia nihilominus praesumitur prudenter voluntas saltem implicita huius sacramenti in quouis moribundo Catholico, & qui immediate ante eum articulum vixerit Catholice, deditque signa animi Christianè & probè dispositi ad mortem.

Ex his patet ad rationem dubitandi. Constat enim imprimis hoc sacramentum non habere rationem medij vtilis ad salutem respectu eius, qui credit adhuc sibi deesse aliquod medium necessarium ad salutem, seu nondum se esse iustificatum, atque ideo ex hoc capite neminem obligari per se ad hoc sacramentum. Constat rursus nullum in illis textibus contineri praeeptum propriè tale. Quod postremo opponitur de Parochis, deque aliis sacerdotibus in defectu Parochorum obligatis grauiter ad vngendum, non vrget. Quia Parochi ex Iustitia, & in eorum defectu ceteri sacerdotes ex charitate tenentur, tanquam ministri Dei ad hoc deputati, ad subueniendum fidelibus, quando indigent, per media ordinaria, & sacramenta à Deo instituta; cum tamen nemo saltem grauiter obligetur ex studio propriæ salutis, ad id quod tutius, & melius est, sed necessarium minimè est, aut putatur ad delendum, aut vitandum peccatum, sed solum ad non omittendum ex contemptu, quæ sunt eiusmodi, ut obseruat Concil. Trident. circa hoc ipsum sacramentum sess. 14. cap. 3. sub finem.



INCIPIUNT QVÆSTIONES
de Sacramento Ordinis.

Q V A E S T I O C I I.

Vtrum Ordo sit Sacramentum collatum potestatis ad Mysterium venerabilis Eucharistiae rite peragendum?



VIDETUR non esse. 1. Quia ordo ex suo conceptu, dicit præminentiam aliorum, & subiectionem aliorum. Huic autem præminentiae & subiectioni nullus est locus in Ecclesia Dei. Quia subiectio repugnat libertati, in quam vocati sumus omnes fideles per Christum. Præminentia verò repugnat humilitati Christianæ, ratione cuius debet quilibet se reputare inferiorem, respectu cuiuslibet alterius, iuxta illud ad Philip. 2. 3. *Superiores inimicem arbitrantes.* Ac demum utraque repugnat æqualitati omnium hominum in natura absque cuius inæqualitate, neque in Angelis, neque in substantiis irrationalibus, datur vlla inferiorum, & superiorum differentia, ac proinde, neque in hominibus vlla admitti debet. Nempe omnis inæqualitas æqualium in natura, est contra naturam, naturalemque rerum habitudinem mutuan. In Ecclesia autem nihil est contra naturam. Ergo in Ecclesia